



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

101. An Sacerdos sæcularis satisfaciat præcepto, si recitet, v.g. cum Carmelitano; vel Franciscus cum Carmelitano Officium Divinum? Ex p. 7. tract. 11. & Misc. 2. res. 9.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76359)

RESOL. C.

An si v. g. Episcopus vel Cardinalis, aut alius Superior cum famulo velit die seriali ex negligentia recitare Officium de Sancto, vitrum talis famulus peccet venialiter propter dictam mutationem Officij. Ex p.7. tr. 11. & Misc. 2. Ref. 10.

§. 1. DE hoc casu olim in Sicilia interrogatus fui & negativè respondi, & postea inveni nostram sententiam, docere Ioannem, Caramuel in Regulam D. Benedicti, disput. 107. dub. 3. n. 1371. quia ait ille; vel Petrus verbi gratia, habet rationabilem causam, vel non. Si habuit, non peccavit venialiter, ac propterea non peccat socius. Si autem Petrus mutaret officium sine causa. Respondeo, etiam in tali casu socium ne venialiter quidem peccare, potest enim pie & prudenter credere Petrum non mutare officij rubricas sine grauibz motiuis & causis.

2. Quid si socius euidenter sciret Petrum non habere causam rationabilem, sed ex mera ignavia aut negligentia alterare rubricas, nempe, vt breuius abfoluat, & facilius substantiæ præcepti satisfaciat? Consulto euidenter dixi; quia si tantum probabiliter sciret, etiam probabiter sciret contrarium.

3. Respondeo in dato casu Petrum peccare venialiter, socium tamen posse sine scrupulo peccati venialis procedere. Patet; quia socius habet causam rationabilem vt officium mutet, quam supponit non habuisse Petrus, Probatur. Quia socius asserit tenei legere cum Petro, & non habere autoritatem decernendi quia debeat legi; Ergo volens nolens debuit Horas legere à Petro determinatas, ac proinde causam rationabilem habuit vt à rubricis discederet.

Quis non plene sup. hoc lege tamé pro Capellano Cardinalis in tom. 9. tr. 7. ex Refol. 49. 5. Posset.

RESOL. CI.

An Sacerdos secularis satisfaciat præcepto, si recitet v. g. cum Carmelitano, vel Franciscanus cum Carmelitano Officium Diuinum. Ex p.7. tr. 11. & Misc. 2. Ref. 9.

§. 1. AFFirmatiuè respondet Ioannes Caramuel in Regulam D. Benedicti disputatione 107. dubio 1. numero 1366. vbi sic asserit: Inquiris Vtrum qui recitat cum habente priuilegium vrendi Breuiario breuiori; vel legendi ante tempus (supposito quod detur lex determinans tempora pro officio priuato) suæ obligationi satisfaciat?

Sup. omni doctrina huius, Refol. supra in Refol. 99. & pro parte in aliis §§. & Refol. eius annot.

2. Respondeo affirmatiuè cum Portelio in dubijs reg. verb. Hora Canonica numer. 8. Henriquez lib. 7. capit. 30. numero 4. Ratio est manifestissima; quia quidquid alteri relatiuo conceditur, necessariò conceditur correlatiuo: Correlatiua enim sunt simul cognitione. Non potest permitti excommunicato vt loquatur tibi, quin & tibi vt audias excommunicatum: ergo.

3. Confirmatur. Non est intelligibile quod duo debite recitent vnum officium Diuinum, & vno satisfaciente alter non satisfaciat. Probatur. Si Petrus & Paulus legant simul, non erit verum dicere quod Petrus legerit totum officium Diuinum, quia supponitur legisse cum socio, & qui legit cum socio, non recitat totum, sed solummodo dimidiã partem, nec erit verum dicere, quod Paulus totum officium legerit, ob eandem causã: Ergo nec Petrus, nec Paulus sed illa

sc Commu

RESOL. XCIX.

An si quis habet priuilegium recitandi in Breuiario breuiari, vel dicendi Horas ante tempus, possit socius recitare eodem modo cum illo absque culpa. Et an Episcopus Religiosus possit recitare cum socio recitante per Breuiarium suæ Ecclesiæ? Ex part. 2. tract. 12. Refol. 55.

RESpondeo affirmatiuè, & ita docet Portel in dubijs Regular. verb. Hora Canon. num. 8. & Henriquez lib. 7. cap. 30. num. 4. Et ratio est, quia id quod priuilegium disponit in vno ex correlatiuis, extenditur ad aliud correlatiuum. Nota etiam, quod Episcopus religiosus potest recitare cum socio recitante per Breuiarium suæ Ecclesiæ. Ita Rodrigus in summ. tom. 4. cap. 68. num. 10. & Portel vbi supra, num. 24.

Tom. III.

Communitas quæ coalescit ex utroque totum officium legit. Hinc sic. Ergo vel dicta Communitas legit officium sibi conueniens, vel non; si legit officium sibi conueniens, satisfecit debite; ergo neuter peccauit venialiter. Si legit officium Diuinum; sed sibi non conueniens satisfecit quoad substantiam, & quoad modum deliquit, ergo & peccauit venialiter. Ergo uterque peccauit venialiter, quia supponitur eodem consilio conuenisse vt legerent Horas, & utrumque æquè potuisse hanc actionem impedire: Quis autem non videat esse absurdum asserere illum peccare venialiter, qui attente & deuotè totum officium legit? quis ignoret socij obligationes alteri comparari per accidens? Manet igitur neutrum peccauisse venialiter.

4. Confirmatur. Si recitans cum habente dispensationem vtendi Breuiario breuiori, non satisfecit; ergo nec recitans cum blæso, & balbutienti semiproferente verba satisfecit, hoc nemo admittet; ergo nec illud ex quo deducitur. Consequentiæ bonitas constat, quia blæsus habet dispensationem omitendi magnam Officij partem non solum à natura, sed etiam ab Ecclesia, cuius præcepta sunt prudentia, & cuiuslibet capacitati accommodata: imprudens enim esset Pontifex, qui balbutienti indiceret exactam omnium verborum prolationem.

5. Hinc constat secularem Clericum, & Religiosum, aut duos Religiosos diuersorum Ordinum sine venialis culpæ scrupulo posse simul recitare iuxta Rubricas alterutrius Breuiarij, Hucusque Carumuel.

Sup. hoc infra in Refol. 103. §. 2. ad medium.

6. Sed tu cogita, nam vnusquisque tenetur recitare secundum formam sui Breuiarij, vt patet ex Bullis Pontificiis appositis in principio Breuiarij Romani, & aliorum Breuiariorum Monasticorum, & in flagrantibus grauissimas pœnas. Ergo Sacerdos secularis si alternatim recitet Horas Canonicas, v. g. cum Carmelitano, relinquit suum Breuiarium, & recitat iuxta formam Breuiarij Carmelitani; Ergo non videtur satisfacere præcepto: Et ita hanc sententiam docet Castros Palaus, 1. r. 1. disp. 2. punct. 2. n. 2. Et licet probabiliter asserant aliqui officium pro officio valere, hoc tamen intelligendum est de officio, quæ in vnusculiusque Breuiario continentur: Vno tamen, vel altero die recitare secundum formam alterius Breuiarij, non esse peccatum mortale, asserunt Nauarrus, Raphaël de la Torre, & Valquez penes Palaum *ubi supra*.

Sup. hoc in Ref. seq. ad medium, & vers. Imò contra.

RESOL. CII.

An Regulares, vel alij, relicta consuetudine vel Religionis, vel Ecclesie, secluso aliquo præcepto, possint priuatim Officium Diuinum secundum Breuiarium Romanum recitare?

Et an si Clericus secularis vno, vel altero die diceret Officium per aliud Breuiarium à Romano, v. g. Breuiarium S. Dominici, &c. peccaret mortaliter? Ex p. 2. tr. 12. Ref. 10.

Sup. hoc in duabus Ref. seq. & in Refol. 3. seq. in principio, §. 1. & §. 2. Sed, & pro dispensat. in hoc casu supra in tr. 2. Refol. 51. §. 1. vt. post medium, vers. si vero.

§. 1. Negatiuè respondent communiter Doctores, quos citat, & sequitur Augustinus Barboza in collect. tom. 2. lib. 3. tit. 41. cap. 1. num. 10. Sed mihi probabilis videtur etiam contraria sententia, quam docet Portel. in dubijs regular. ver. Hora Canonice, num. 6. Rodriguez in summa tom. 3. c. 195. num. 2. Lessius lib. 2. cap. 73. dub. 12. numer. 74. Emanuelè Sà verb. Hora, num. 6. vbi sic asserit: Extra chorum potest quisque dicere Officium Romanum. Et ratio est: quia talis adest consuetudo. Secundò, quia Pius V. etsi insinuet in Bulla, non esse

mutandum Officium publicum ducentorum annorum absque consensu Episcopi, vel Capituli; nihil tamen dicit de priuato tacite, ergo permittit illud mutari. Imò contra Garlam de beneficijs, tom. 1. part. 3. cap. 1. num. 150. & alios, si aliquis Clericus secularis vno, vel altero die diceret Officium per aliud Breuiarium à Romano, verbi gratia, per Breuiarium sancti Dominici, &c. puto ita recitando non peccate mortaliter: quia cum hæc mutatio parua sit, non videtur notabiliter aduersari menti Summi Pontificis. Et ita docet Ioan. de la Cruz in Direct. confiteor. part. 1. præcept. 3. all. 3. dub. 4. concl. 2. Nauarrus cap. 19. num. 217. & Reginaldus tom. 1. lib. 18. cap. 12. num. 171. præp. 3. vbi asserit, tunc peccare ita recitatem, quando talis permutatio Breuiarij viris doctis, & pijs nimia appareret.

RESOL. CIII.

An Regulares extra Chorum possint vti Breuiario Romano, vel alterius Religionis? Ex p. 3. tr. 1. Ref. 35.

§. 1. Regularem qui vitur proprio Religionis suæ Breuiario, non posse vti Romano extra chorum, docet Suarez de Relig. tom. 2. lib. 4. c. 23. num. 9. Azorius tom. 1. lib. 10. cap. 11. quæst. 1. in fine, & alij.

2. Sed ego alibi contrariam sententiam docui, & nunc iterum doceo, cum DD. ibi citatis, quibus nunc addo Hieronymum Rodriguez in compen. 99. Regular. resolut. 24. num. 34. qui etiam cum Miranda in manual. Prælat. tom. 1. q. 37. art. 13. resoluunt posse Minores, & consequens alios Regulares extra Conuentum recitare cum Monachis aliorum Religionum per sua Breuiaria virtute concessionis Innocentij I V. id indulgentis, & sic v. g. Benedictinus potest recitare Horas Canonicas cum Dominicano, si extra Conuentum reperitur cum Breuiario Fratrum Prædicatorum, & dictum priuilegium Innocentij IV. non reuocari per Bullam Pij V. tenent DD. citati, vnde in praxi secura erit eorum sententia.

RESOL. CIV.

An Monachi satisfaciunt præcepto diuini Officij, si priuatim recitent iuxta Ritum Breuiarij Romani? Ex. p. 11. tr. 2. & Misc. 2. Refol. 64.

§. 1. Negatiuè respondet Pasqualigus in 99. moral. cens. 3. quæst. 225. per totam. Primò, quia ita declarauit Sacra Rituum Congregatio: Cuius declarationis tenor est; Sacra Rituum Congregatio censuit & declarauit, omnes Monachos, & Moniales, qui & quæ militant sub Regula Sancti Benedicti posse, & debere vti Breuiario Benedictino nuper de mandato Sanctissimi Domini nostri Papæ edito pro omnibus Religiosis, qui militant sub Regula S. P. Benedicti, non obstante quod aliqui exempti in præteritum vti fuerint Romano, vel alio Breuiario. Et ita declarauit die 14. Ianuarij 1616. A. Mar. Episcop. Cardin. Cal. I. P. Mugantius Secret. Sacræ Congregationis.

2. Secundò, quia si quis obligatus ad recitandum secundum Breuiarium Romanum, recitaret secundum aliud Breuiarium non satisfaceret obligationi; vt declarauit Pius V. in dicta Bulla præfixa Breuiario, ibi, Statuentes, quoscumque qui horas Canonicas